

Appendix. — Europa Nro. 25.

Regnum Mortuorum.

Litterae familiares inter Vivos, et Mortuos.

Lazarus Spallanzani ex Regno Mortuorum ad quemdam Phisicum in Germania.

In Ellisio 11. Martii 1808.

Quod in vita penetrare non poteram, hoc me in ipso regno mortuorum occupat. Quaeres, amice! quod sit illud obiectum scrutationis? scribam; sed oportet praemittere; nunc id in effectum deduci, de quo jam Anno 1778 quidam egregium sane projectum fecit, ut sciam forum, ad quod me vertere debeam; Planum autem istud, quod litteratus quidam de la *Blancherie* in Gallia excogitaverat, est erectio *Cancellariae universalis scientiarum*. Planum hoc idem Accademiae scientiarum Parisinae examinandum tradidit; scopum, relationes, et organisationem hujus Instituti nulla alia ratione melius evolvere possumus, quam si opinionem ipsam 4. illorum Eruditorum, quibus investigatio Plani commissa fuit, Accademiae depromptam communicemus.

Accepto Accademiae mandato, ut projectum D *Blancherie*, universale commercium Litterarum, scientiarum, artium, et litteraturae erigendi, quo eruditi, et Artifices omnium Provinciarum ad connexionem poni, ac deinde utilitas hujus Instituti quavis altera hebdomade medio pagellae, cui titulus: *Nava Respublica Eruditorum, et Artificum* ad notitiam Publici deduci possit, examinemus, opinionemque eatenus depromamus, nos non tantam projectum istud nobis exhiberi fecimus, et nos de mediis, illud in effectum deducendi, rite informari curavimus, sed etiam consensui hebdomadali, quem author sub denominatione: *Conventus Reipublicae Eruditorum*, instituit, interfuimus. Profecto! invenimus in hocce conventu Litteratos, artifices, artiumque cultores omnium classium, et ex omnibus propemodum Europae regionibus. Vidimus correspondentias D. *Blancherie*; et cogimur fateri, haec multo tempore equisse, et D. *Blancherie* probasse activitatem, et litteraturae zelum, qui admodum rarus et pro incremento scientiarum et artium summi momenti est.

Conventus hi, qui omnibus itinerantibus distinctioribus, litteratis, artificibus, artiumque cultoribus patent, summa digni sunt attentione: nam parte ab una multa tam pre

utilitate, quam et pro delectatione extrahi possunt ex Itinerariis per Galliam, imo exteras quoque provincias, ad quas correspondentiae D. *Blancherie* pertingunt, parte vero ab altera aquiri potest cognitio omnium, quae in exteris provinciis fiunt, ac praeterea notitia cum iis, qui artium causa peregrinantur; uno verbo fateri cogimur, Institutum hoc, per quod D. *Blancherie* in linea litteraturae et artium se quasi Agentem generalem efficit, omnem mereri laudem, et adjutorium. Parisiis in conventu Accademiae scientiarum, 20. Maii 1778 *Franklin Le Roi*. Marchio *Condorset*, *De La Lande*. — Quodsi projectata haec Carcellaria jam alicubi erecta esset, cuperem sequentia pro deliberatione proponere.

Stupenda est varietas curae parentum circa juvenes suos relate ad propagationem generis conservandam. Aliquae species deponunt ova sua, quo fato deveniunt, parum de sorte eorum solliciti; ut sunt insecta, et quaedam piscium species; aliae exquirunt hunc in finem locum commodum, ubi ova sua relinquunt, ut Angues, Crocodilli, et Struthio; aliae denique, positis ovibus, juvenes tamdiu curant, dum sibi succurrere possint. Quem assignabimus Magistrum, qui quamvis avium speciem alia forma nidos suos struere docuit, cogitque, ut omnes de eadem specie nidos suos juxta idem formulare aedificent? *Imitatio* esse non potest; nam etiamsi ova corvi gallina excludat, et corvus nunquam nidum corvinum viderit, tamen nidus, quem struet, crit aliis omnibus similis, nempe trunco arboris insistens. *Ratio* non, quia, si animalia hanc haberent, domos suas pro ratione commoditatis, quam quaererent, diversa forma, ut nos, aedificarent.

Sed jam audio te, quaestionem hanc cum censura repudiantem; Quid? dices, an ignorat *Spallanzani*, qua ratione animalia cuncta operentur? An ignorat Instinctum, cui resistere non possunt? Ita! Instinctus! Instinctus! Et ego dico tibi, dilecte amice! Illa universalis scientiarum Cancellaria longe aliter hanc quaestionem decidet; quod nempe ita dicta animalia irrationabilia majorem Instinctum ad artes habeant, quam animal homo; hic enim non scit sibi domum struere, et plures generationes ferorum hominum intereant, antequam architecturam corvi assequantur.

Caeterum, fateor ingenue, me sensum vocis *Instinctus* non intelligere. Visne, ut meam deprimam opinionem? Ego credo *Ideas innatas*, ut Plato nos docuit. Quod tu Instinctum nominas, sunt ideae, animalibus innatae, secus corvus nidum, quem nunquam vidit, struendi nec Instinctum haberet, Instinctus proinde est consecrarium ideae innatae; has ideas Plato ipsa explicat; esse nempe generales conceptiones rerum; quas anima, antequam in corpora

des
me
one
inte
sun
ma
ade
ante
non

quia
qua
sam
tam
ici,
et s
idea
dam
qual
tium
infuc
Ast
ideo

5. sen
sensu
nos,
tanta
habe
regit.
Anim
prae
sum
mus?
Deita
invest
tiones
coale
corvi
one til
tus; q

foeder
beat.
operat
est, et

descendisset, ex claro conspectu objectorum sibi formavit, memoriaeque impressit, quae conceptiones per conjunctionem animae cum corpore quidem confusae sunt, sed per intensionem iterum excitari possunt, ideae proinde innatae sunt qualitates animae propriae, Juxta hanc theoriam anima est antiquior corpore, nobilior, et sublimior, atque adeo in ipsa mundi creatione suam acceperat existentiam, antequam tamen apta accipiat organa, vires suas exerere non potest.

Aristoteles rejecit hanc Magistri sui Platonis doctrinam, quia praexistentiam animae, ac praesertim rationabiles ejus qualitates non agnovit; et rationem nominavit tabulam rasam, cui notiones primum per sensus inscribantur; hanc tamen sententiam suam non probavit. Eum secuti sunt Stoici, et Epicurei, juraruntque in verba Magistri sine probis, et sine convictione. Ita manserant res, donec *Descartes* ideas innatas iterum propugnavit, ex illo cum primis fundamento; quia impossibile ipsi videbatur, ut ens perfectum quale est anima nostra, ideam perfectissimi omnium entium formare posset, nisi hanc ideam ipsi Deus ipsemet infudisset; huic se conjunxerant *Löche* et *Leibnizius*. Ast nemo existentiam innatarum idearum adhuc evicit, et ideo palpitamus in tenebris, et quaerimus veritatem.

Nunc venit *Gall* cum sua doctrina *Cranii*, et allegat, 5. sensus nostris non esse sola organa observationum et sensuum nostrorum. Animalia habent eosdem sensus, quos nos, imo aliqua plane perfectiora, et tamen non habent tantas ideas, et notiones, quantas homines; hi ergo debent habere quamdam qualitatem, quae sensus superat, hosque regit. Ratio, quae in anima residet, non est tabula rasa. Anima per organum cerebri movetur ad excitandas jam praexistentes ideas; ergo dantur ideae innatae. Sed quorsum me tulit nidus corvi? Nos miseri homines, quid scimus? An Philosophia coelum expugnare, ac in misteria Deitatis penetrare vult? — Stulti, manete super terra, et investigate nidum avium! — Hae sunt, Amice, observationes, quas ego novae Cancellariae scientiarum, si tamen coaleat, pro deliberatione proponere vellem; nempe nidus corvi, et ideae innatae. — Interea in sollicita expectatione tibi salutem. — P. S. verbo *Instinctus*, non sum contentus; quod bene notandum.

Diarium Politicum.

Argus profetisat Sveciae, eam non ultra tres menses in foedere cum Anglia manere posse, cum secus ruere debeat. — In Gallia tota politica opinio nunc intenta est in operationes classis rupefortensis, quae in mari mediterraneo est, et iter Imperatoris in Hispaniam, quod certum esse.

vel ex eo colligas, quia jam Praetorianae quoque Legiones cum Mamaluccis praecesserunt.

Litterae ex Germania Septentrionali ferunt; ad expeditionem contra Sveciam 20000 Gallorum destinata esse, quibus in Seelandia 30000 Danorum accedent, hic exercitus mox decidet sortem Sveciae, quae aut ad communem causam continentis accedet, aut plene separabitur.

Consumptio Sachari, et fabarum arabicarum in Svevia jam ultra dimidietatem decidit, quod in aliis quoque Continentis regionibus fit. Interea adest adhuc quantitas horum Articulorum, quae usque finalem fatalis Processus decisionem sufficit; hinc non ubique succedunt giganticae Speculatorum, qui in necessitatibus nostris Peruviam se invenisse putabant.

Biographia.

Spallanzani Læsarum Professor Historiae naturalis Paviae, antea Reggione, et Modenae, Commembrum complurium domesticarum, et exterarum societatum Eritarum. Tentamina ejusdem circa operationem concocti propagationem ranarum, et Observationes circa serpenterum proprium sunt notatu digna opera. Periterationes suas (Viaggi alle due Sicilie, e in alcune parti dell' Appennini) pro naturae scrutatoribus multa praestitit, quae multas observationes, et animadversiones circa controversas quaestiones geologicas, et mineralogicas continent. Obiit nocte inter 10 et 11. Februarii 1796 anno aetatis 71.

N. B. Cum ob defectum spatii in posterioribus Biographiam *D. Boerhave*, quem cum *D. Kunkel* colloquentem induximus, inserere non potuerimus, eandem hicce subnectimus.

Boerhave Hermannus celebris condam Medicus in Hollandia, natus 31. Decembris A. 1666 in *Voordhout*, haud procul *Leodio*. Studuit primum Theologiae, sed dein Medicinae semet applicuit. Creatus Philosophiae, et Medicinae Doctor, et A. 1709 Medicinae, et Botanicae Professor; tandem A. 1714. ingressus professionem Medicae practicae, A. vero 1718 etiam Chemiae. Erat membrum Academiae scientiarum Gallicae, et Anglicae. Obiit Leodii 23. Septemb. 1738. Boerhave solebat Discipulos suos, quorum ex omni Europa multos habuit, ad lectionem veterum scribere; probavit in reliquo Sectam Mechanicorum, et scientiam medicam in notionibus naturae admodum adhuc imperfectam esse, et ideo praxim medicam eidem superstrui posse non putavit. Praecipua ejus opera sunt. *Institutiones medicae. Aphorismi de cognoscendis, et curandis morbis. De viribus Medicamentorum. Institutiones et experimenta Chemiae*. Historiam vitae ejusdem enarravit in speciali oratione *Alb. Schultens* Leodii A. 1738.

Date

ctu t

565, 9

qua

tium

infus

Ast

ic

possu

cum

Ita fu

histor

umph

tander

fecit,

mnes

comm

culpar

Xenod

sibi all

lum c

venire

In

tilitate

que re

afficit

grinato

tatis In

tutis in

vit Inst

quam c

pro eo

etiam l

Pr

siliarii